



1. Carpov / Jac. / Specimen quintum  
de Applicatione Methodi Scienti-  
ficae ad Theologiam revelatam,  
Jena.
2. Carpov / Joh. Bened. / Diss. de  
jure decidendi Controversiarum theolo-  
gicarum, Lipsiae, 1695.
3. Deutschmann / Abraham Henr. /  
Diss. de Immortalitate et Immuta-  
bilitate Divinae Essentiae, Willem-  
bergae, 1692.
4. Gesner / Salam. / Diss. II. de Eccle-  
sia triumphante in caelis,  
Wittenbergae, 1595.

5. Grötseri / Jac. / Diss. Dea Matrimo  
nialer, Jurgoldstadt, 1611.
6. Großschain / Georgi / Diss. de Cultu  
divino Enoschi, Erfurti, 1639.
7. Harenberg / Joh. Christoph. / Theologia  
primorum Christianorum dogmatica,  
Brunsvigi, 1746.
8. Hasen / Corn. / Dissertationes Theolo  
gicæ IV. in prophetiam Joelis,  
Bremæ, 1697.
9. Hildebrand / Joach. / Diss. de  
jejunio, Helmstädt, 1719.
10. Criticum Jirendi ad Socrum  
suum, Lipsiæ 1708.
11. Programma ad Festum Natiuitatis  
Christi de Christo primogenito  
ante omnem creaturam in Acade.  
mia Julia Carolina, Helmstädt  
1748.
12. Philorophumena de Angelis  
Helmstädt 1748


13. Fabricii (joh.) diff. de Reverentia  
erga Sacra, Helmstädt, 1706
14. La Kemacher (joh. Gottfr.) diff.  
de Palo Carni pauli dato,  
Helmstädt, 1722.
15. Leisner (joh. frid.) programma  
an Humilitas Virtus Christiana,  
norum sit propria, Cize, 1751
16. Molani (Georg. Wolt.) ~~diff~~ Theses  
miscellae, Rinteln, 1666.
17. Niemejer (joh. Bartholdi.)  
programma de Ecclesia Novi  
Testamenti, Helmstädt, 1703.
18. ————— programma contra Soci-  
nianos, Helmstädt, 1703.
19. ————— programma de Christiana  
Religionis partibus, Helmstädt,  
1705
20. Calovij (Abrah.) Curculai  
Religio triplex, Wittenbergae  
1678.

21. de Rewa (Alexij) observatio-  
nes Epistolae Joh. Josephi a  
Trautson Wittenbergae, 1752
22. Ritmejer (Christoph. Henr.) Diff.  
de Nominibus Divinis, Helmstädt  
1705.
23. ——— Diff. exponens Nomencla-  
turas Mortis ex Novo Testamento,  
Helmstädt, 1710.
24. Schmidt (Joh. Joach.) Diff. III, de  
Theologo non contentioso, Helmstädt  
1723.
25. Schmidt (Seb.) Diff. de Indulgen-  
tiarum Thesauris nullius Pretij,  
Argentorati, 1673.
26. ——— Diff. de Cantico Zachariae  
Wittenbergae, 1689.
28. Schramm (Joh. Conrad) Diff. de  
Controversiis cum Socinianis,  
Helmstädt, 1721
29. Schubert (Joh. Ern.) Diff. de Salutaris  
Efficacia Resurrectionis Jesu Christi,  
Helmstädt, 1748.
25. Morheim (Joh. Laur.) Diff. de Theologo non contentioso  
Helmstädt, 1729.

- 29<sup>30</sup> Schumacher / J. Alb. / Diff. de Amuleto  
quodam Gnosticorum, Beroni, 1717.
- 30 Sontag / Christoph. / Diff. sistens  
Madriationes aliquot Religio-  
sas, Altorfi, 1708.
- 31 Stearne / Joh. / Diff. de Electione  
Dublini, 1664.
- 32 Tosani / Dan. / Diff. de recta Ecclē-  
siarum Reformatione, Heidelbergae  
1597.
- 34 Walsh / Joh. Georgij / Diff. de Origine  
Tutheismi, iend, 1732.
- 35 Wernsdorff / Gottl. / Diff. de primo  
Hominiis Statu, Wittenberge, 1716
- 36 ——— Diff. sistens Offensivum  
in pietismo reatum, Wittenberge  
1707.
- 37 ——— Diff. de Libris Auctianis  
de vero Christianismo, Wittenberge  
1717.
- 38 Widenburgi / Pr. tobij / programma  
de Colloquio Quedlizenburgenſe,  
Helmſtad, 1710.
- 39 ——— programma, ad ſingula  
Doctrinae Christianae Capta,  
Helmſtad, 1703.
- 340 ——— programma de Interpreta-  
tione ſ. Scripturae, Helmſtad, 1703.

40 Witter f. Henr. Demh. / Diss. de  
Purgatorio, Helmstadt, 1704.

42 Seltner f. Gustav Georgii / Diss.  
de Horologio Johannis  
Horsfi, 1724.





1  
COMMENTATIONIS  
DE  
ADPLICATIONE METHODI SCIENTIFICÆ  
AD  
THEOLOGIAM REVELATAM  
SPECIMEN QVINTVM



AUCTORE

M. IACOBO CARPOVIO

ILL. GYMNASII VINARIENSIS DIRECTORE MATH. P. P.  
REGIÆ BEROLINENSIS ACADEMIÆ SCIENTIARVM ET LITTERARVM  
ELEGANTIORVM COLLEGA.



VIENÆ, IOH. ADAMI MELCHIORIS VIDVÆ.





# LECTORI CANDIDO

S. P.

I.

Quid aucto-  
ri in hac  
controuersia  
superfit?



in iis, quæ ad disceptationem de adplicatione  
methodi scientifica ad Theologiam reuelatam  
pertinent, duo adhuc perficienda supererant,  
quorum erat prius, vt de principio cognoscendi  
in theologia reuelata generatim, simulque  
de recte rationis in illa usu, posterius, vt  
de quatuor illis principiorum cognoscendi in  
theologia generibus specialibus, quæ in præ-

fatione theologiæ reuelatæ posueram, definitionibus, axiomatibus cum  
postulatis, experientiis atque essentis scripturæ sacræ, disputarem (Spec.  
IV. §. I). Priori horum proximo specimine satisfactum est, idque ea  
ratione, vt usum rationis sanæ in theologia reuelata non tantum re-  
ctum atque legitimum esse, sed nec repugnare adfectioni scripturæ  
sacræ, qua vnicum principium cognoscendi in theologia reuelata, et  
recte quidem, dicitur, demonstrauerim. Sequitur nunc igitur, vt  
quatuor ista principiorum cognoscendi in theologia genera, quæ dixi,  
obiectis vindicem, et si in vulgus hæcenus probata non sint, vt  
probentur posthæc, argumentorum poudere efficiam.

II.

## II.

Sed priusquam quatuor ista principiorum cognoscendi in theologia genera Dn. D. Clugius oppugnet, quatuor is quaestiones, quarum solutionem desiderat, mouet, et male tornatas animaduersiones quasdam in medium adfert. Accipe, Lector, primo quaestiones verbis ipsius Singul. Theol. Carpou. P. II. p. 146. §. 5: *Hic quidem ante omnia nosse velim, 1) quo pacto illa, quae non scripturae sacrae testimoniis, sed principiis rationis, in Theologia Carpouiana fulciuntur, pro parte Theologiae reuelatae venditentur, qualem titulus promittit. 2) quae ratio sit, quare Scripturae sacrae, ipso Dn. Carpouio satente, omnium eorum, quae in Theologia cognoscenda sunt, rationem continenti, aliud adiungatur principium cognoscendi. Ipse enim, ut modo intellexisti, si aliud eidem adiungatur principium, id sine ratione fieri, adfirmat. 3) quo iure Scriptura sacra pro principio cognoscendi in rebus Theologicis adequato et unico habeatur, si illa quidem opus habeant, ut principiis rationis suffulciantur. 4) annon hoc ipsum, quod in tradenda Theologia reuelata, praeter Scripturam sacram, alia principia cognoscendi recipiantur, indicium sit methodi imperfectae, a Dn. Carpouio delectae. Haec igitur ante discutienda sunt, quam ad argumentum disceptationis praecipuum progrediar.*

## III.

Dum quaeritur primo loco: *quo pacto illa, quae non sacrae An auctor Scripturae testimoniis, sed principiis rationis in theologia mea fulciuntur, pro parte reuelatae venditentur a me, Theologiam reuelatam lectoribus offerente? responsio omni difficultate caret. Nimirum reuelatae id a me factum non est, quod obiicitur. Quae non Scripturae sacrae vendit, testimoniis, sed principiis rationis solis fulciuntur, talia in theologia quae non mea (excepto capite primo, quippe quod, ut ante doctrinam de sacra reuelata Scriptura, non potuit non ex sola ratione sana deriuari) non sunt; aut si adsunt, non adsunt, ut dogmata theologica, sed ut veritates philosophicae, eo sine adlatae, ut cum veritatibus theologicis, tanquam altera praemissa, ad conclusionem theologiam elicendam, coniungentur; quo non obstant, liber meus Theologiae Reuelatae titulo compellendus fuit. Nam conclusionem, ex altera praemissa rationis, altera reuelationis vel theologicae deriuatam, theologiam esse, manifestum*

est (Spec. IV. §. 11.). Conclusionem autem, solius rationis principiis fultam, vt talem, theologicam esse, nunquam ego adserui, docens potius, ad conclusionem rationis requiri, vt vtraque præmissarum ex ratione, nec vlla earum ex reuelatione adsumpta sit (Theol. Reu. T. II. §. 228. Sch. I.). Dn. Clugius quidem, vt speciem exprobrationi conciliet, prouocat ad verba mea Theol. Reu. T. I. Præf. §. 20: *Non foueo, non amplector (generatim) alia (dogmata), nisi quæ aut testimoniis sacra Scriptura, recte pro regulis hermeneuticis explicatis, aut principiis rationis indubiis euidentibusque fulciri, riteque inde derivari possunt. Non igitur (speciatim in theologia reuelata exaranda) potui, non volui alia proponere.* Vnde concludit l. c. p. 145. seq. *sacra Scriptura testimonia et principia rationis eodem apud me in tradenda theologia reuelata loco esse eiusdemque auctoritatis ita, vt alia in Theologia mea reuelata testimoniis scripturae, alia principiis rationis nitantur et fulciantur.* Sed quis non videat sinistram collectionem? Fateor, me non alia dogmata in theologia reuelata proposuisse, quam quæ aut testimoniis sacrae scripturae, aut principiis rationis indubiis euidentibusque fulciuntur; sed hoc sensu, vt omnis præmissa, qua ad conclusionem theologicam inferendam vsus sum, et in qua in demonstrandis veritatibus theologicis subfici, sit aut testimonium scripturae, aut principium rationis indubium atque euident, vel certe in philosophia demonstratum. An sequitur inde, *alia* in theologia mea reuelata testimoniis scripturae, *alia* principiis rationis niti et fulciri? Si alia atque alia in theologia mea reuelata intelligas de *dogmatibus theologicis*, vt talibus: nego non tantum, in theologia mea id ita se habere, sed etiam ex concessio illud sequi, dum sensus verborum meorum talis, est potius, qualem dixi. Quodsi vero alia atque alia in theologia mea, quæ dixisti, intelligas de *præmissis*, quibus ad conclusiones theologicas inferendas vsus sum: fateor equidem, ita se rem habere, vt alia præmissa in Theologia mea reuelata testimoniis sacrae Scripturae, alia principiis rationis fulciantur. Sed non habet inde Dn. Clugius, quod mihi exprobrat, postquam, principia rationis in argumentationibus theologicis recte simul adhiberi, ipse docuit (Spec. III. §. 12.). Quod autem ad *paritatem auctoritatis* attinet, quam Dn. Clugius me *essatis sacra Scripturae et principiis sanæ rationis* tribuere perhibet, ipsum pariter, ac me, Deum auctorem rationis sanæ agnoscere secundum expositionem articuli primi symboli apostolici, a Luthero datam, arbitror.

Cum

Cum igitur sacra Scriptura etiam a Deo sit, Scripturam sacram et veritates rationis, auctoris ratione habita, eiusdem auctoritatis esse, elucet, licet sint disparis, si manifestationem ex utraque parte respicias.

## IV.

Altera quæstio Clugiana est Singul. P. 2. p. 146: *quæ ratio fit, quare Scripturæ sacræ, me ipso fatente, omnium eorum, quæ in theologia cognoscenda sunt, rationem continenti, aliud adiungam principium cognoscendi? Me ipsum enim adfirmare, si aliud eidem adiungatur principium, id sine ratione fieri.* Sed nunquam ego sacræ Scripturæ aliud cognoscendi principium in Theologia reuelata adiunxi; neque adiungo rationem sanam hoc sensu, ut conclusionem theologiam, ut talem, unquam ex solis rationis sanæ principiis fluere, arbitret; quo sensu omnino ratio sana Scripturæ sacræ, tanquam principium cognoscendi in theologia, adiungenda non est (Spec. IV. §. 7. 13.). Quod si vero secundum sententiam Clugianam, principia rationis sanæ adiungere scripturæ, tanquam principio cognoscendi, nec hoc sensu fas est, ut in conclusione theologica inferenda, alteram præmissam scripturæ suppeditante, altera desumatur ex ratione sana (quo sensu, sanam rationem recte adiungi scripturæ, tueor Spec. IV. §. 10.), ipse Dn. Clugius aduersus se præliatur, *in argumentatione theologica alteram præmissam recte ex ratione recta desumi, cum altera ex scriptura est, concedens et docens* (Spec. III. §. 12.). Neque in hac causa principium rationis rectæ adiungitur Scripturæ sacræ *sine ratione*. Ratio enim est, quod ex effato scripturæ, aut ex propositione theologica inferri nequeat conclusio, nisi altera præmissa ex sana ratione accedente (Spec. IV. §. 11.). E contrario si conclusionem, ex solius rationis principiis deriuatam, ut talem, theologiam diceret, id sine ratione fieret, quia sacræ litteræ, quicquid pertinet ad theologiam reuelatam, continent. De cetero dum Dn. Clugius, ut ostendi, principia rationis rectæ cum veritatibus theologis ad conclusiones theologicas inferendas recte coniungi, docet, nec aliud quid est, quod ego et facio et doceo: ego vicissim ex ipso nosse velim, cur Scripturæ sacræ, quæ, ipso fatente, omnium in theologia cognoscendorum rationem continet, aliud adiungat principium cognoscendi? Et quicquid ipse respondebit mihi, id vicissim a me responsum habebit.

An auctor  
Scripturæ,  
licet illa sus-  
ficiens sit, ta-  
men adiun-  
gat aliud  
principium  
cognoscendi?

## V.

*An Scriptura  
maneat  
principium  
adaequatum  
rerum Theo-  
logicarum,  
si hæc alio  
principio o-  
pus habeant?*

Sequitur quæstio Clugiana tertia Singul. P. 2. p. 146: *quo iure Scriptura S. pro principio cognoscendi in rebus Theologicis adæquato et unico habeatur, si illa quidem opus habeant, ut principiis rationis suffulciantur?* Respondeo, res theologicas eatenus opus habere, ut principiis rationis suffulciantur, quatenus altera præmissa ad conclusionem theologicam inferendam interdum ex sana ratione desumenda est. Quo si Dn. Clugius tolli arbitratur, scripturam esse principium cognoscendi in rebus theologis adæquatum et unicum, videat se, ut solet, sibi ipsi repugnantem. Nam non solum, alteram præmissam recte ex ratione sana peti ad conclusionem theologicam inferendam (Spec. III. §. 12.), sed etiam sacram scripturam unicum res theologicas cognoscendi et demonstrandi principium, nempe proprium et domesticum, esse, docuit Sing. P. 2. p. 148. §. 4. Ad me quod attinet, solui difficultatem, si quæ est, supra (Spec. IV. §. 13.).

## VI.

*An indici-  
um methodi  
imperfectæ  
sit, præter  
Scripturam  
alia princi-  
pia in Theo-  
logia recipi?*

Quærit Dn. Clugius denique Singul. P. 2. p. 146: *annon hoc ipsum, quod in tradenda Theologia reuelata, præter Scripturam sacram, alia principia cognoscendi recipiantur, indicium sit methodi imperfectæ, a Dn. Carpouio delectæ?* Respondeo: si indicium methodi imperfectæ in tradenda theologia reuelata est, præter sacram scripturam, alia principia cognoscendi eatenus recipi, ut ad conclusionem theologicam inferendam cum effato scripturæ vel veritate theologica coniungatur principium rationis rectæ, ut præmissa altera (eatenus enim ego alia principia in theologia recipio): imperfectio methodi in tradenda theologia non solum omnibus theologis idem facientibus, et ipsi Dn. Clugio, idem adprobanti (Spec. III. §. 12.), sed etiam Christo, doctori omnium sapientissimo, obiicienda est, quippe qui in disputationibus theologis principia rationis adiunxit effatis scripturæ, ad conclusiones theologicas eruendas (Spec. IV. §. 10.); cui quomodo Dn. Clugius sit responsurus, pro sapientia sua videat. Ego methodum disciplinæ imperfectam esse eo, quod ex alia ante ponenda disciplina principia quædam, ubi opus est, adsumat, nego.

## VII.

## VII.

Neque sunt momenti cuiusquam animaduersiones, quas Dn. Clugius interposuit Singul. P. 2. § 7. p. 148. Dicit *Responsio ad animaduersiones quas-*

1) *non de principiis communibus, sed de principiis rerum theologicarum propriis et domesticis hoc loco sermonem esse, quia propositiones theologice non nisi e principio proprio atque domestico possunt deriuari.* Sed ostendat ille, si potest, locum, ubi dixerim, principia vel veritates rationis sanæ esse principia propria et domestica rerum theologicarum. Neque id ex eo sequitur, quod dixi, docens, veritates rationis rectæ in locum alterius præmissæ adsumi posse ad conclusiones theologicas inferendas; quippe quod ipse Dn. Clugius concedit (Spec. III. §. 12.), licet e solo principio domestico, sacra scriptura, propositiones theologicas deriuari, postulet. Sed idem quoque pro more sibi contradicit, dum h. l. *propositionem theologicam non nisi e principio proprio ac domestico, h. e. scriptura sacra, deriuari posse, perhibet, alibi autem iteratis vicibus, in argumentationibus theologicis principia rationis locum habere, concessit lubens (Spec. III. §. 12.).* Dicit

2) *non de argumentatione sigillatim theologica disquiri, sed de propositionibus theologicis, ex aliis, tanquam e principio, legitime deriuandis; ubi quidem in ista locum habere principia rationis, lubens concedit, sed negat, eiusmodi principia, in præmissis adhibita, pro principio Theologie proprio atque domestico haberi posse.* Ast per argumentationem theologicam propositiones theologicæ ex aliis, tanquam e principio, legitime deriuantur. Quare si Dn. Clugius concedit, *in argumentatione theologica principia rationis locum habere, uti lubentem se concedere, fatetur, etiam in propositione theologica, ex aliis, tanquam e principio, legitime deriuanda, principia rationis locum habere, non potest non concedere; ex quo tamen non sequitur, principia rationis haberi pro principio Theologiæ proprio et domestico.* Fallitur autem Dn. Clugius, dum *in argumentatione theologica, cuius una præmissa ex ratione, altera ex reuelatione est, conclusionem veram esse non propter præmissam, ex ratione ductam, sed ob præmissam ex reuelatione, sibi persuadet l. c. p. 149.* In omni enim syllogismo conclusio vera est non ob vnius tantum, sed ob vtriusque præmissæ veritatem; nec, alterutra præmissarum dempta, inter alteram atque conclusionem

nem vllus nexus est (Spec. IV. §. 11.). Neque minus frustra est et fallitur Dn. Clugius, cum ex eo, quod scripserim, me neutiquam syllogismos semper, prouti secundum formam Logicam plene formandi sunt, sed enthymematice plerumque proposuisse, maiore interdum, interdum minore, interdum vtraque præmissa omiſſa, concludit, de argumentatione theologia sermone[m] hoc loco non esse. Nam quamvis in demonstrationibus meis theologicis syllogismos non semper plene secundum formam Logicam scripserim, tamen, si præmissa quædam definite posita non est, habetur in paragrapho excitata, vt adeo omnino de argumentatione theologia sermo sit. Dicit denique l. c. p. 149.

3) de propositionibus vere theologicis, non de articulis mixtis, qui extra systema theologicum ex sola ratione deriuari queant, sermonem esse. Sed hoc etiam mihi non obest, quia omnino de propositionibus vere theologicis disputamus demonstrandis.

### VIII.

Repetita  
conciliatio  
contradicti-  
onis adpa-  
rentis.

Neque hoc loco prætermittendum est hoc. Cum in theologia reuelata scripturam sacram esse principium cognoscendi adæquatum atque vnicum, docui (Th. Reu. T. I. §. 366. 367.). Dn. Clugius post repetita verba mea opponit sic l. c. p. 145: Quodsi itaque Scriptura S. omnium eorum, quæ in Theologia cognoscenda sunt, rationem continet, ita quidem, vt nullum aliud principium cognoscendi ei adiungendum sit, profecto nec definitionibus, e philosophia petitis, nec postulatis et axiomatibus, a Scriptura diuersis, nec experientiis, tanquam principiis cognoscendi demonstrandique veritates theologicas, opus est, immo, qui, in tradenda Theologia reuelata, aliud adiungit principium, adiungit sine ratione. Quibus similia tradit l. c. p. 151: Si verum est, quod ipse Dn. Carpouius asserit, Scripturam sacram esse principium cognoscendi demonstrandique res theologicas vnicum et adæquatum, quid opus est, vt magna definitionum copia e philosophorum scriptis, tanquam principium cognoscendi demonstrandique res theologicas, arcessatur? Quæ quidem eatenus me ferire debent, quatenus in demonstrationibus theologicis interdum alteram præmissam e ratione recta petendam esse, docui. At vero qua ratione adparenti huic contradictioni medendum sit, supra ostensum est (Spec. IV. §. 13.). Repetam hoc loco vnicum. Dum scriptura principium cognoscendi adæquatum et vnicum in theologia



logia reuelata est, non opus est principiis rationis sanæ (quo termino iam omne ex philosophia sumptum, siue id sit definitio, siue axioma, siue postulatum, siue experientia, siue denique theorema, complector), tanquam principio cognoscendi, hoc sensu, vt vlla conclusio, ex solatione deriuata, eatenus recipiatur tanquam theologica; sed hoc non impediendo, iis opus est eatenus, vt interdum cum propositione theologica coniungantur, ad conclusionem theologicam inferendam, quæ ex propositione theologica, non simul adhibita rationis veritate, deriuari nequibat. Quare qui hoc sine in tradenda Theologia reuelata Scripturæ adiungit principia rationis, ille non adiungit sine ratione.

## IX.

Quemadmodum in philosophia atque mathesi, etiamsi ratio re- *Quæ auctor*  
ta principium cognoscendi generale sit, tamen principia demonstratio- *ponas prin-*  
num prima specialia sunt definitiones, axiomata, postulata atque experi- *cipia cogno-*  
entia: sic in demonstrandis propositionibus theologicis eadem esse *scendi pri-*  
principia cognoscendi, additis tamen effatis sacræ scripturæ euidentibus, *ma specialia*  
ostendi (Th. Reu. T. I. præf. §. 24-29.). Hæc vero cognoscendi *in Theolo-*  
demonstrandi in theologia principia quia a Dn. Clugio in contentio- *gia?*  
nem vocata fuerunt, eadem pro instituti ratione (Spec. IV. §. 1.) iam  
speciatim tuenda sunt.

## X.

A principio Dn. Clugius non improbat quidem, quod effata *In illis an*  
sacræ scripturæ euidencia esse principia cognoscendi in Theologia reue- *effatis Scri-*  
lata, docuerim; sed male eum habet, quod in enarrandis *pturæ quar-*  
principiis theologiarum demonstrationum posuerim primo definitiones, dein- *nis theologiarum demonstrationum*  
de axiomata atque postulata, tum experientias, quartumque locum de- *derim effatis sacræ scripturæ euidentibus;*  
dandus? *quippe quod singulare esse,*  
exclamat bis Singul. P. 2. p. 146. §. 6. et p. 157. §. 13. Quia vero fa- *derim effatis sacræ scripturæ euidentibus;*  
cilem me libenter Dissidentem, vbi, salua veritate, fieri potest, præbeo, *exclamat bis Singul. P. 2. p. 146. §. 6. et p. 157. §. 13.*  
plenam ipsi potestatem concedo, in libro suo effatis scripturæ primum *facilem me libenter Dissidentem, vbi, salua veritate, fieri potest, præbeo,*  
locum inter principia cognoscendi et demonstrandi veritates theologi- *plenam ipsi potestatem concedo, in libro suo effatis scripturæ primum*  
cas dandi. Quodcunque enim principiorum genus primo loco narres, *locum inter principia cognoscendi et demonstrandi veritates theologi-*  
perinde est, dum ipsis demonstrationibus theologicis nullum inde dam- *cas dandi. Quodcunque enim principiorum genus primo loco narres,*  
num nascitur. Ego autem, definitiones primo loco ponens, indolem *perinde est, dum ipsis demonstrationibus theologicis nullum inde dam-*  
N *num nascitur. Ego autem, definitiones primo loco ponens, indolem*  
demon-

demonstrationum respexi, quippe quæ plerumque a definitionibus proficiscuntur, vt non tantum intelligatur, quid sit id, de quo disputetur, quemadmodum bene dixit Cicero Off. l. I. c. I., sed etiam vt ex ipsa notione rei, quod de re demonstrandum est, deriuetur.

## XI.

*Quæstiones  
duæ.*

Sed grauiores iam quæstiones de ipsis his quatuor primorum cognoscendi et demonstrandi principiorum generibus oriuntur. Primo enim dum sacra scriptura est in theologia reuelata principium cognoscendi (Spec. IV. §. 3.), ita scilicet, vt ex effatis illius veritates theologicas, vel per se, vel per consequentiam, intelligendæ sint (Spec. IV. §. 8.), quæritur: *cur non in solis effatis scripturæ, tanquam principio cognoscendi et demonstrandi in theologia, adqueuerim? cur effata illa distinxerim a definitionibus, axiomatibus cet. tanquam peculiare genus principiorum cognoscendi in theologia reuelata? aut cur reliqua hæc genera illis adiunxerim?* Deinde cum sacra scriptura sit in theologia reuelata principium cognoscendi adæquatum et vnicum (Spec. IV. §. 5. 6.), quæritur: *quo iure definitionibus, vel etiam axiomatibus atque experientiis, ex sola ratione petitis, a me locus datus sit inter principia cognoscendi et demonstrandi prima in theologia reuelata?* Ita enim scriptura sacra non manere principium adæquatum atque vnicum videtur; id quod opposuit Dn. Clugius Singul. P. 2. p. 145. 151. Vtrumque igitur iam explicare conuenit, vt mentem meam recte Lector intelligat, nec deprehendere sibi, quod ipsam offendat, videatur.

## XII.

*An effata  
Scripturæ a  
reliquis ge-  
neribus  
principio-  
rum cognos-  
cendi in  
Theologia  
reuelata re-  
ste distincta  
suarim?*

Quod ad prius attinet (§. 11.), fateor equidem, ex effato scripturæ intelligendum esse, quidquid ex scriptura demonstratur. Nam solus sensus scripturæ literalis, qui effatis eius inest, est argumentatiuus (Theol. Rev. T. I. §. 308. 355.). At vero effata scripturæ in demonstrationibus theologis adhiberi queunt modis diuersis. Aut enim 1) ipsum effatum sit præmissa syllogismi in demonstratione theologica; aut 2) ex effato, spectatis omnibus ad illud pertinentibus, colligitur definitio theologica, quæ iterum vel per se principium demonstrandi sit; vel ex qua porro axioma, siue postulatum deriuatur. Exemplum prioris habes, cum in Diuinitate Christi ex attributis diuinis demonstranda concluditur.

Qui-

Quicumque gaudet omniscientia, omnifapientia, omnipotentia, ille est Deus verus;

Id quod est principium rationis sanæ, ex alio principio rationis sanæ manans, ex hoc scilicet, quod omniscientia, omnifapientia, omnipotentia attributa, soli Deo propria, sint (El. Theol. nat. § 828. Sch. 1.).

Christus gaudet omniscientia, omnifapientia, omnipotentia, per dicta scripturæ (Theol. Rev. T. 1. §. 785.).

Ergo Christus est Deus verus.

Hic enim ipsa scripturæ effata sunt minor in demonstratione theologica. Sed posterioris exemplo potest esse, cum ex Pl. CXLIII. 2: *Coram te non erit iustus ullus viuens*, spectata dicti ratione, quod scilicet nullus homo coram Deo iustus sit, quia nullus homo legem Dei perfecte seruat, formetur definitio: *Iustus est coram Deo, qui legem Dei perfecte seruat*. Ex qua definitione sequitur axioma: *quicumque legem Dei non seruat perfecte, ille coram Deo iustus non est*, et postulatum: *quicumque vult iustus esse coram Deo, ille legem Dei perfecte seruet*; et deriuari possunt theoremata: *quod Christus coram Deo iustus sit*, quod *iustitia coram Deo non possit operibus obtineri a peccatore cet.* Enim vero in Logica et secundum methodum mathematicorum quodlibet primorum demonstrandi principiorum genus peculiari nomine denotandum est, quia rebus diuersis diuersa esse nomina, conuenit. Cum igitur in propositionibus theologis demonstrandis interdum effata scripturæ sacræ, vt principia cognoscendi, adsumenda sint, quæ tamen non sunt definitiones, nec axiomata, aut postulata, sensu Logicorum accepta, nec experientiæ: nil superest, nisi talia scripturæ effata, vt peculiare genus principiorum cognoscendi et demonstrandi in Theologia Revelata, poni, atque a reliquis demonstrandi principiis distingui. Similitudine, ex iurisprudencia ciuili sumpta, rem declarabo. In iure ciuili Romanorum bene multæ sunt notiones aut definitiones, ex quibus constitutiones iuris, siue per modum axiomatum postulatorumue, siue theorematum, deriuari queunt. Fac autem, adesse leges, ex quibus aliæ sint deriuandæ, et quæ tamen ipsæ nec sunt definitiones, nec axiomata, nec postulata, nec ex talibus principiis sequuntur; leges illæ sunt in iurisprudencia, methodo scientifica tradenda, quartum genus primorum cognoscendi atque demonstrandi principiorum.

## XIII.

*An definiti-  
onibus, axio-  
matibus cet.  
philosophi-  
cis recte lo-  
cus detur  
inter princi-  
pia cogno-  
scendi in  
Theologia  
reuelata?*

Dum autem secundo quaesitum fuit: *quo iure definitionibus, axiomatibus, postulatis, experientis, ex sana ratione petitis, locum dederim inter principia cognoscendi et demonstrandi in theologia reuelata?* atque *an idem, salva sufficientia sacrae Scripturae, factum sit?* respondeo, salvo hoc, quod Scriptura sacra sit principium cognoscendi et demonstrandi adaequatum atque vnicum in Theologia reuelata, in Theologia reuelata veritates rationis sanae cum principiis theologicis, ad conclusiones theologicas inferendas, recte coniungi (Spec. IV. §. 10.); id quod concessit Dissentiens (Spec. III. §. 12.). Quanam ergo veritates rationis sanae principiis theologicis iungentur recte? Definitiones, quas philosophia suppeditat, sunt veritates rationis rectae. Axiomata et postulata, quae philosophia suppeditat, sunt veritates rationis rectae. Experientiae, quas philosophia, aut usus vitae suppeditat, sunt veritates rationis rectae. Quin etiam theorematum philosophica, et ex istis principiis demonstrata, nec non corollaria, ex theorematibus porro deriuata, sunt veritates rationis rectae. An igitur omne hoc veritatum rationis genus cum principiis theologicis, ad conclusiones theologicas inferendas, coniungi potest? Aut concedis, aut negas. Si negas, dic, quae ergo genus veritatum rationis rectae cum principiis theologicis, ad conclusiones theologicas inferendas, coniungi queat? Vtrum definitiones? an axiomata? an postulata? an experientiae? an theorematum? an corollaria? an problemata? Cur reliqua genera non? Cur reliquarum rationis veritatum non idem ius sit, quod est aliarum? Ad quod solide ostendendum omnis tua loquacitas nunquam sufficet. Certe in exemplo: *quorum vnus est gignens et alter genitus, illi differunt realiter; sed Pater et Filius in Diuinitis sunt gignens et genitus; Ergo Pater et Filius in Diuinitis differunt realiter*, quod Dn. Clugius adduxit Singul. P. 2. pag. 149, maior adsumpta est tanquam axioma rationis sanae; tametsi eadem propositio etiam ex definitionibus gignentis, geniti, atque realiter diuersorum, per modum theorematum, deriuari queat. Quodsi igitur axiomata, aut theorematum rationis sanae possunt cum principiis theologicis, ad conclusiones theologicas inferendas, coniungi, tametsi Scriptura sacra sit principium cognoscendi et demonstrandi adaequatum et vnicum in theologia

logia

logia reuelata, fatente sic Dn. Clugio, cur nec definitiones, aut experientia, quas sana ratio suppeditat? Ergo omnis veritas rationis, siue ea sit definitio, siue axioma, siue postulatum, siue experientia, siue theorema, siue corollarium, siue alia quæcunque, modo sit veritas, cum principiis theologicis, ad conclusionem theologicam inferendam, coniungi potest. Atque hæc ratio est, cur scripserim Theol. Reu. T. I. Præf. §. 26: *Suppetias deinde fert sana ratio, quæque exinde sunt philosophia, si ita; vt non confusas, sed distinctas notiones suppeditet, pertractetur. Nam dum, ubi ipsa sacra Scriptura notiones cum verbis coniungendas non suppeditat, eas a Deo inspirante, quas iam habemus, suppositi, præsumendum est, ex philosophia notiones et definitiones rerum desumende sunt, ubi in Theologia desiciunt.*

## XIV.

Quod autem speciatim ad definitiones attinet, de illis olim, in explicanda methodi scientificæ ad Theologiam reuelatam adplicatione versans Theol. Reu. T. I. Præf. §. 25. 26, docueram sequentia: 1) *definitiones de rebus Theologicis, secundum regulas Logicas recte et sic formatas, vt neque sint incompleta, neque abundantes notiones, esse primum genus principiorum demonstrandi in Theologia. Nam in Theologia non minus, quam in quacunque alia scientia, ex caractere rei formali, quem definitio exprimit, reliquæ rei adfectiones deriuari queunt; quemadmodum ex omnibus locis systematis mei theologiæ abunde adparet. Docueram 2) definitiones, vt principium demonstrandi, in theologicis desumendas esse ante omnia ex usu loquendi sacre Scripturæ, vt in definitionibus theologicis, quo scriptura, eodem et nos significatu terminis vtamur; ex philosophia autem, aut ratione sana, ubi in Theologia desiciunt; id quod recte fieri, paulo ante ostensum est (§. 13.).*

*De definitionibus, vt principiorum demonstrandi genere in Theologia, quid auctor olim docuerit?*

## XV.

Enim vero quemadmodum iſterico qualibet visa flaua videntur esse, non vitio rei, sed hominis; ac veluti meticulosus in tenebris ubique locorum spectra cernere sibi videtur ob phantasiæ deprauationem: ita Dn. Clugius in modo dictis, licet veris atque innoxii, errores vi-

*An auctor definitiones rerum Theologicarum*

*habeat pro  
principio  
cognoscendi  
in Theologia,  
a Scriptura  
seiuucto?*

det, dum vbique ad illos quærendos pronus est. Etenim is, licet negare nequeat necessitatem definitionum recte formatarum in theologia, tamen

1) negat, definitiones de rebus theologicis esse in Theologia principium cognoscendi res theologicas peculiare, et a Scriptura sacra seiuuctum Singul. P. 2. p. 150. §. 8. Ita vero is non intelligit, de quo disputat. Seiunxi equidem definitiones de rebus theologicis, secundum vsum loquendi sacrae Scripturae formatas, ab effatis Scripturae, quæ non sunt definitiones, nec axiomata, nec postulata, nec experientia, tanquam genus principiorum cognoscendi, ab his diuersum (§. 12.); sed ideo non seiunxi a sacra Scriptura. Quomodo enim illas haberem pro principio cognoscendi, a sacra Scriptura seiuucto, cum ex Scriptura et secundum eius loquendi vsum formandas dicam? Qui definitiones rerum iuridicarum, e. g. emancipationis, fideicommissi, legati cet. secundum corpus iuris ciuilibus Romanorum formandas docet, is illas a corpore iuris non seiungit, aut pro principio cognoscendi, a corpore iuris seiuucto, habet. Similem rationem præsentis negotii, mutatis mutandis, esse, est in promptu. Nimirum definitiones rerum Theologicarum, e. g. regenerationis, iustificationis, sanctificationis, e locis sacrae Scripturae eruendas esse, vt vsui loquendi Scripturae conuenientes sint, doceo, neque adeo illas seiungo a Scriptura sacra; seiungo illas vero, vt peculiarem principiorum demonstrandi in Theologia speciem, ab effatis Scripturae, quæ, vt effata, principia demonstrandi in Theologia fiunt; quemadmodum illud ex exemplo superiori elucet (§. 12.).

## XVI.

*An definiti-  
ones rerum  
Theologica-  
rum possint  
principium  
demonstran-  
di esse, licet  
ipsæ sui  
principium  
habeant?*

Quando 2) Dn. Clugius definitiones rerum theologicarum, e sacra Scriptura compositas, principium cognoscendi demonstrandi que res theologicas esse, l. c. negat, ea quidem de causa, quod que principiorum propria sunt, in definitionibus his desiderentur, siquidem principium omnium primum sit, nec aliunde demonstrari queat; sed definitiones rerum theologicarum, sicut e sacra Scriptura con- struantur, ita ipsæ quoque principium, ex quo deriuantur, habeant, in hoc quoque pertunctorie tantum rem agit. Definitiones rerum theologicarum ex sacra Scriptura deriuantur, et nihilominus sunt primum in cognoscendo et demonstrando. Nimirum ex Scriptura deriuantur, qua.

quatenus ex locis Scripturæ ostenditur, illam termino ea significatione  
vri, quæ per definitionem determinatur; vel scriptorem sacrum eandem  
notionem cum termino iunxisse, quam definitio exprimit. Hoc enim  
ostenso, certi esse possumus, effatis scripturæ consentaneum esse, quid-  
quid ex tali definitione legitime deriuatur. E. g. cum datur definitio  
peccati, *peccatum esse, quiddid est contra legem Dei* (Theol. Reuel.  
T. I. §. 6. 1207.), hanc vocis acceptionem conuenire cum vsu loquen-  
di, quem sacra Scriptura tenet, adparet ex 1. Ioh. III. 4: *ἡ ἀμαρτία*  
*ἔστιν ἡ ἀνομία*. Sunt autem nihilominus definitiones rerum theologi-  
carum, ex sacra Scriptura sic ostensæ, primum in demonstrando, qua-  
tenus ex illis conclusiones theologicæ, axiomata, postulata, theoremata,  
problemata, corollaria deriuantur, ipsæ autem ex nullis deriuantur prin-  
cipiis vterioribus. Ita e. g. si ex data definitione peccati concludo:

Quiddid est contra legem Dei, id est contra voluntatem Dei.

Nam lex diuina est species voluntatis diuinæ.

Peccatum est contra legem diuinam. Ergo peccatum est contra  
voluntatem diuinam;

habita ratione huius theorematis, definitio peccati, quæ est minor, est  
primum in demonstrando, dum illa vterius non probatur. Habes exem-  
plum simile in philosophia. In hac enim definitiones vsui loquen-  
di vel philosophorum vel communi consentaneas esse, ostendendum  
est; et nihilominus illæ sunt primum in cognoscendo et demonstrando,  
quatenus illæ vterius non probantur, simulac vsui loquendi eas con-  
uenire, manifestum est.

## XVII.

Dum porro 3) Dn. Clugius pergit l. c. p. 150: *Fac, defini-* *An definitio-*  
*ones has principium cognoscendi demonstrandi que res theologicæ esse,* *nes rerum*  
*non video, quo pacto principium hoc quartæ principiorum speciei, ef-* *Theologica-*  
*fatis scilicet Scripturæ sacræ legitime explicatis, opponi possit, bene te-* *rum opponi*  
*rit omnino, ignorantiam suam fatendo. Nimirum definitiones re-* *queant effa-*  
*rum theologicarum, secundum vsum loquendi sacræ Scripturæ formatæ,* *tis Scriptu-*  
*vt prima speciei principiorum demonstrandi in theologia, effatis Scri-* *ræ, vt alii*  
*pturæ, vt quartæ speciei principiorum demonstrandi in theologia, op-* *speciei prin-*  
*po-*

*cipiorum  
demonstran-  
di in Theolo-  
gia?*

ponuntur, quatenus interdum effata Scripturæ, quæ definitiones non sunt, tanquam principia demonstrandi, adsumenda sunt; cuius exemplum supra dedi (§. 11.). Nam definitionem et non-definitionem sibi inuicem opponi æque, ac hominem et non-hominem, quis tam imperitus est Logicæ, quin videat?

### XVIII.

*An secun-  
dum aucto-  
rem defini-  
tiones re-  
rum Theolo-  
gicarum e  
philosophia,  
maxime Wol-  
fiana, peti  
queant?*

Sed 4) maxime hoc loco miranda est astutia Dn. Clugii, dum ille mihi adfingit, quod non docui, idque *mirum* et *maxime singulare* esse, exclamat. Dicit enim l. c. p. 150: *Carpouio iudice, definitiones de rebus Theologicis e philosophia, maxime Wolfiana, peti et construi posse.* At vero in loco, quem ipse ex Theol. Reuel. T. 1. Præf. §. 26. excitat, non ego scripsi, *definitiones de rebus theologicis, sed in theologicis definitiones rerum, ubi ea in theologia desciunt, desumendas esse e philosophia.* An Dn. Clugius, *definitiones de rebus theologicis et definitiones rerum in theologicis,* putat, vnum idemque esse? An definitiones de rebus astronomicis et definitiones rerum in astronomicis doctrinis sunt vnum et idem? Annon distincta veritatum astronomicarum cognitio multas supponit definitiones in se non astronomicas, sed ex aliis præuiis matheos partis petendas? Similiter igitur quoties accidit, vt terminus aliquis in theologia occurrat, cui respondens notio et definitio pertinet ad philosophiam? Hanc igitur cum ex philosophia, dico, petendam esse, ne distincta cognitio theologia desit, an ideo dixi, definitiones de rebus theologicis sumendas esse ex philosophia? Vt exemplum dem, in theologia reuelata est propositio: *Christus est rex.* Dum igitur quæro, quid res sit? definitionem regis ex philosophia petendam esse, in aperto est. Tales autem definitiones, licet conclusionibus theologicis inferendis inferuiant, ob eamque causam in theologicis adhibeantur, in se tamen philosophicæ manent. Quare absurde mihi obiicit Dn. Clugius Singul. P. 2. p. 151: *absurdum est, definitiones philosophicas pro definitionibus de rebus theologicis venditare.* Nam nusquam id a me factum est, sed per calumniam meram mihi adfingitur. De cetero *utrum ex philosophia Wolfiana, an alia, sumas definitiones philosophicas,* quibus in theologia opus est, hoc, modo illæ veræ et recte formatæ sint, potest perinde esse, pariter ac nihil refert, ex quo hor-



horto florem, vel ex quo prato herbam petas, modo floris herbæ eadem virtus, eadem adfectio sit. Veritas enim rationis sanæ eadem est, siue in Wolffiano, siue in alio systemate deprehendatur. Quod si vero eadem est veritas, cur ex Wolffiano systemate definitionem philosophicam, quam veram recteque formatam esse intelligo, petere non liceat? Solumne nomen Wolffianum sanguine viperino cautiù vitandum putas? An id potius tibi accidit, quod prouerbio dici solet: ars osorem, nisi ignorantem, non habet? Denique dum Dn. Clugius dicit l. c. p. 151: *Si res theologica spirituales sunt, non intelligo, quo pacto illæ principio naturali contineri possint*; facile equidem inducor, vt credam, ipsum id non intelligere. Nam nec hoc intellexit, quomodo Scriptura vnicum et adæquatum principium cognoscendi in theologia esse, et tamen ex philosophia rationis principia in Theologia desumi queant? quod tamen verum est. Nouerit igitur, res theologicas, dum spirituales sunt, non posse quidem principio naturali contineri, h. e. veritates reuelatas, vt tales, derivari non posse ex solis rationis principiis; sed id non ob stare, quin definitiones sanæ rationis in nexum demonstrationis theologicæ, ad conclusionem Theologicam inferendam, recipiantur.

## XIX.

Sed quo minus totam nunc concludam disceptationem, obstat id, quod præsentis scriptioni occasionem præbuit. Quemadmodum in comœdia et in omni hominum vita sic se res habet, vt decedentibus aliis succedant alii, et succedentibus aliis, alii decedant: ita scholarum ratio non est dissimilis. In præsentia, finito spatio temporis semestri, quinque iuuenes, diligentia pariter ac morum honestate commendabiles,

*Syllabus  
Candidatorum  
academice.*

I. PHILIPPVS FRIDERICVS GAZERT

Ilmenauensis,

O

II.

II. *FRID. CHRISTIANVS KESSELRING*

Vinaria superiori oriundus,

III. *IOHANNES SEBALDVS HECHT*

Mittelhusanus,

IV. *AVGVSTVS GVILIELMVVS HVPEL*

Buttelstadiensis,

V. *IOH.ERNESTVS LVDOVICVS LINCK*

Burgelenfis,

absoluto laborum scholasticorum penso, et consensu Superiorum impetrato, decedere de Gymnasio nostro, et ad superiorum studiorum palæstram transire, certum apud animum deliberatumque habent. Enimvero secundum leges et consuetudinem Gymnasii nostri, candidatos academiæ nouissimum profectuum scholasticorum specimen declamando ante abitum edere, simulque Mæcenatum se patrocinio commendare, fas est. Cui vt officio fatisfieret, oratores nostros vltius persequi illustrationem institutorum Lycurgi, legislatoris apud Spartanos celebratissimi, cuius superiori occasione initium est factum, conueniens visum est. Itaque tametsi eorum

PRI-

PRIMVS, qui de legibus Lacedæmoniorum generatim

differtaturus erat sermone Gallico, quo minus illud perficiat, morbo, quo præter expectationem implicatus est, et quo explicari nondum potuit, impeditur: reliquorum tamen quilibet peculiare aliquod Lycurgi institutum, ad religionem Spartanorum pertinens, exponet, nimirum

SECUNDVS hoc: *Omnes Dii Deaque colantur armati;*

TERTIVS hoc: *Sacrificia quam minimo sumptu fiant;*

QUARTVS hoc: *Votum omnium sit, ut Dii honesta ob bonas actiones dent, nihilque amplius;*

QVINTVS hoc: *Virgines et pueri sacra habeant communia;* quo ordine illa recensuit Nic. Cragius de Rep. Lacedæmon. l. 3. p. 178. seqq. Nostri vero oratores in laboribus his nouissimis \*) versabuntur ita, ut secundus, tertius, quintus Latino sermone, quartus vero carmine Germanico vtatur, vtque postremus simul et proprio et primi quartique nomine pro insigni mensuræ gratuitæ beneficio, quod PRINCEPS dedit SERENISSIMVS, animum gratum declaret humillime, nomine omnium vero omnes, quorum beneficio se adfectos intelligunt, valere iubeat.

O 2

XX.

\*) Candidatorum nostrorum primus, tertius, quartus alio quoque tempore publice declamando bene et laudabiliter egerunt res suas; id quod de primo ex huius Commentationis *de adplicat. methodi scientific. ad Theol. Reuelatam* Spec. IV, de tertio quartoque ex Specim. II. *dubiorum de conuersione hominis discussorum* est in promptu.

XX.

*Inuitatio  
cum voto.*


His igitur frequens auditorium cras hora IX. ma-  
tutina conciliaturus, qua fieri obseruantia et humanitate  
potest, OPTIMATES, MÆCENATES, OMNESQVE  
MVSARVM PATRONOS ET GYMNASII FAVTORES,  
vt audiendi operam beneuole dent oratoribus nostris, in-  
uito; simul vero abeuntibus, post gratiam diuinam, fani-  
tatem corporis non minus quam mentis, nec non fortunæ  
prosperitatem, et felicem studiorum successum


adprecor, cuiuslibet eorum

acclamans:

I, bone, quo tua-te virtus vocat! i pede fausto!

P. P. VINARIE DIE XXIII. APRIL. MDCCLIV.







00 A 6466

ULB Halle

3

002 937 239




Sb.

VO 17


2010

HL 74









COMMENTATIONIS  
DE  
ADPLICATIONE METHODI SCIENTIFICÆ  
AD  
**THEOLOGIAM REVELATAM**  
*SPECIMEN QUINTVM*



AUCTORE

**M. IACOBO CARPOVIO**

ILL. GYMNASII VINARIENSIS DIRECTORE MATH. P. P.  
REGIÆ BEROLINENSIS ACADEMIÆ SCIENTIARVM ET LITTERARVM  
ELEGANTIORVM COLLEGA.



VIENÆ, IOH. ADAMI MELCHIORIS VIDVÆ.

